ηqddqYeY βΕ dedΕβΥ3e d ecoaboy JqddYqyè

DE LAPATHO ORIENTALI, FRVTICE HVMILI FLORE PVLCHRO INST. R. H. COR.

Auctore

Ioanne Ammano.

Tab. XIII. In tractatu de ſtirpibus rarioribus in Imperio Rutheno ſponte prouenientibus mentionem feci *Lapathum Orientale*, fruticem humilem flore pulchro et Atriplicem Orientalem, fruticem aculeatum flore pulchro Inſt. r. h. Coroll. pag. 38. a I. P. Tournefortio recénſitas atque ab eodem Auctore in Oriente primum detectas ſingulares et valde pulchras duas haſce plantas in Kirgiſiorum atque Baskirorum Tatarorum regionibus, nec non in variis Sibiriae locis prouenire.

Tournefortius harum plantarum nomina tantum, deſcriptiones autem et icones nullas cum publico communicauit.

Poſt Tournefortium Chriſtianus Buxbaumius per Ruſſiae et Perſiae ad Caſpium mare ſitas prouincias Conſtantinopolim petens, in Media quoque prope vrbem *Ienſchi* ſeu *Hanſem* locis glareoſis circa fluuios et riuulos poſteriorem, Atriplicem nempe, obſeruauit, deſcriptionem vero et iconem exhibuit in Centur. ſuarum 1ª. pag. 19. Tab. XXX. Melius deinde eandem plantam delineauit et deſcripſit I. Iacobus Dillenius in Horto Elthamenſi pag. 47. Tab. XL. fig. 47.

Prioris,

ηqddqYeY βΕ dedΕβΥ3e d ecoaboy JqddYqyè